Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

species nulla est. non dico sicut in equitate atque prudentia
sed neque sicut in mente hominis atque memoria et sensibus et ue
getante uita. neque sicut speciosa sunt sydera et decora locis
suis. et terra et mare plena fetibus, que succedunt nascendo
decedentibus, non saltem ut est quedam defectiua species et um
bratica uiciis fallentibus. Nam et superbia celsitudinem
imitatur. cum tu sis unus deus et super omnia excelsus. Et am
bitio quid nisi honores querit et gloriam. cum tu sis pre cunctis
honorandus unus et gloriosus in eternum. Et seuicia
potestatum timeri uult. Quis autem timendus nisi unus deus cuius
potestati eripi aut subtrahi quid potest. quando aut ubi aut
quo uel a quo potest. Et blanditie lasciuientium amari uolunt.
sed neque blandius est aliquid tua caritate. nec amatur quicquam
salubrius quam illa pre cunctis formosa et luminosa ue
ritas tua. Et curiositas affectare uidetur studium
scientie, cum tu omnia summe noueris. Ignorantia quoque
ipsa atque stulticia simplicitatis et innocentie nomi
ne tegitur. quia te simplicius quicquam non repperitur. Quid te
autem innocentius. quando quidem opera sua malis ini
mica sunt. Et ignauia quasi quietem appetit. que uero
quies certa preter dominum. Luxuria sacietatem atque abun
dantiam se cupit uocari. tu es autem plenitudo et inde
ficiens copia incorruptibilis suauitatis. Effusio li
beralitatis obtendit umbram. sed bonorum omnium largi
tor affluentissimus tu es. Auaritia multa possidere
uult. et tu possides omnia. Inuidia de excellentia li
tigat. quid te autem excellentius. Ira uindictam querit. Te
iustius quis uindicat. Timor insolita et repentina
exhorrescit rebus que amantur aduersantia. dum precauet